







1784, 11.  
252.

DE  
IVRE ELECTORALI SAXONICO  
PER LEGEM TUTELAREM  
INNOVATO.

---

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AUCTORITATE

IN ALMA ACADEMIA LIPSIENSI

PRO

SVMMS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

D. IIII. NOVEMBRIS MDCCCLXXXIII.

CAPESSENDIS

DISPVAT

FRIDERICVS SIGISMVNDVS FROBE

I. V. E. ET ADVOCAT.

THE FIRST PART OF THE  
FIRST EDITION OF THE  
INNOVATION

ILLUSTRATED BY THE  
AUTHOR


IN THE  
YEAR 1800

BY THE  
AUTHOR

IN THE  
YEAR 1800








## INSTITUTI RATIO.

Cum more academico capessendorum summorum in vtroque iure honorum gratia scribendum esset aliquid, non diu dubitandum mihi videbatur, ex quo iure scriptionis materiam eligerem. Nam ex quo causis in foro agendis operam dedi, etsi ego interdum ad peregrinas leges, pro earum in foris nostris auctoritate, deuerti, inprimis tamen in patriis legibus institutisue per muneris rationem habitandum mihi fuit. In quibus cum permulta iuris communis capita a Serenissimis Saxoniae legislatoribus sapienti consilio vel immutata, vel aucta, vel limitata certe animaduertuntur, tum vero inprimis in nouissima lege tutelari a Serenissimo nostro Electore nuper proposita, vniuersa de tutelis doctrina tam egregie constituta ad communemque salutem tam praeclare attemperata deprehenditur, vt sapientissimi cu-





iusque administrationem concitauerit. Quamobrem mihi laborem videbar suscipere nec alienum a studiorum meorum ratione, nec commilitonibus ingratum, si Carpzouii, Philippi, Riuii, Gribneri, Baueri, aliorum, quorum ad alias leges Saxonicas exstant commentarii praecleari, exemplo incitatus, de iis, quae in tutelari illa lege nuper promulgata ex iure communi vel sapienter mutata, vel certius constituta sunt, vberius exponerem<sup>\*)</sup>. Cuncta enim tantam spirant Serenissimi legislatoris prudentiam et sapientiam, quanta: vniquam cogitari potest maxima. Quae tamen cum multa sint, et latissime pateant, vno libello totum opus non videbatur rite posse absolui. Quare satius duxi non huius folii libelli terminis operam meam atque laborem definire; sed praecipua tantum rerum tutelarium, quibus hac lege consultum iuit clementissimus Legislator, capita hoc tempore tractare, reliquum rei huius ac legis ambitum, si haec nunc proposita non displicuerint idoneis rerum harum arbitris, fauente tempore atque occasione singulis subinde in speciminibus emensurus. Sic autem describere placuit dissertationem hanc primam, vt initio priore in capite a personis tutelae subiectis earumque conditione in vniuersum variis in negotiis contrahendis facto, in secundo progrederer speciatim ad minorum in matrimoniis contrahendis obligationes, persequerer deinceps in tertio successione materiam, ac quarto tandem in capite in patria in tutoribus constituendis, ordinandaque omnino ac gerenda tutela potestate subsisterem. Sed vereor sane, vt hanc tantam rem pro dignitate tractauerim, quippe cui multis inde ab annis, ab elegantiori doctrina quasi remoto, in foro semper versandum fuit atque in medijs litibus degendum. Si igitur in interpretanda hac lege tutelari non adeo felici ingenio vsus fuerim, summam-  
que

\*) Absoluto iam nostro libello incidimus in Illustris BAUERI program-  
ma, quod nuper admodum scripsit ad disputationem Inaugural. Con-  
sult. WERNBERI. Sed cum vir ille illustris modo pauca quaedam  
capita attigerit, largam adhuc nobis messem reliquisse videtur.



que Serenissimi legislatoris prudentiam minus adsecutus, facile me credo ob hos ipsos forenses strepitus, quibus mirum non est paululum hebetari ingenium, a doctis hominibus veniam impetraturum; quos vt ne omnia ad vinum resercent, verum potius hanc qualemcumque opellam meam imbecillitatis meae memores aequi bonique consulant, vehementer oro rogoque.

## CAPUT PRIMUM.

*De personis tutelae subiectis earumque conditione in vniuersum variis in negotiis contrahendis.*

### §. I.

*De discrimine tutelam inter et curam sublato.*

Quae quondam Romanorum iure diu obtinuerat, impuberes inter et minores, tutores ac curatores distinctio, ea repudiata iam antea iure Germanico, nec non vt videtur iam anteriore iure Saxonico Electorali, hac noua tutelari lege diserte exstincta deprehenditur. (cap. III. §. r. IX. §. r. n. 8. XIII. §. r.) Quo quidem efficitur, vt quemadmodum spinosis istis reliquis ICtorum subtilitatibus ex illa inter tutores et curatores differentia ortis facile possumus suspensere, ita et nulla, vt iure Romano, (quae est multorum opinio,) curatorum petendorum incumbat nunc minoribus necessitas. Etenim licet petendi tutoris facultas minoribus hac lege concessa sit, praecipitur tamen, vt iis, vel non petentibus, curator constituatur. (cap. II. §. 8. III. §. r.) Vnde hae fere regulae iuris Saxonici nascuntur: *licet quidem minoribus petere curatores*, et in eo vestigia iuris Romani deprehendimus, anteriore iure Saxonico non obuia. Altera: *Curator constituendus minoribus etiam si non petant*. Sed et nouum pubertatis feminae terminum mihi videor deprehendisse in

ver-



verbis: ohne Unterschied des Geschlechts, wenn sie das vierzehnte Jahr ihres Alters erfüllt haben. (cap. II. §. 8.) Nam iure Romano femina, uti satis constat, anno XII. impleto pubertatem adepta iudicabatur, nunc vero noui quid introducitur, ut scilicet anno XIII. impleto deum pro pubere, cui curatorem petere liceat, habeatur. Id quod passim in hac lege tutelari repetitur, ut suo sigillatim loco indicabimus.

§. II.

*De iis, quae minor valide peragit inter viuos.*

Exposita autem ipsa tutelae ac curae natura ex legis recentissimae mente, age iam videamus, quae ex ea reperiatur minorum ipsorum conditio. Ac primo quidem sapientissime minorum rei eo prospectum videtur, quod (cap. XIII. §. 1. 3.) Romanum ius seruatum fuerit, quo scilicet infcio tutore vel curatore acquirere quidem minor, non vero amittere aliquid poterat; unde contractus hoc modo ab eo celebrati claudicare dicuntur, ita, ut minor quidem, sed non altera pars contrahens possit regredi, quare etiam tutor intra terminum Saxonicum, si alter id postulet, declarare debet, vtrum negotium a minore gestum ratum habere velit, nec ne. Quin etiam ab ipsa acceptatione in donationibus liberantur nunc minores, lege quasi ipsa acceptationis munus suscipiente. Deinde vero, quae superiori tempore saepius in foro agitata fuerat quaestio: an minores fide adstricti sua teneantur? prudentissime ac in eorundem minorum commodum (§. 6.) dirimitur. Sic enim cautum legimus, ut minores, qui a tutore aut cognatis remoti viuunt, ac de sua persona, non de bonis contraxerint, obligati ex contractu teneantur. Qua de causa ciuis academicus, ut hoc utar exemplo, qui extra patriam in academia commoratur, ac nondum minorem aetatem excessit, si operam suam ad instituendos paruulos alteri promiserit, valide egit, et contractui nunc satis.



satisfacere tenetur. Id quod antea ex aequitate quidem seruari, iure tamen non urgeri poterat, quoniam diserta lege carebamus, quae tamen nunc lata est.

Quoniam vero nonnumquam tempora incidunt, quibus per fraudem abuti lege minores possint, si de bonis pacti cum altero fuerint, duplex adiungitur cautio. (§. 7. 8.) Prima haec est: *Si maiorem se dolose dixerit minor, altera vero pars contrahens iureiurando maiorem illum se credidisse adfirmaverit, minor eiusque tutor obligantur.* Quod item iuris Romani est, quo dolosis iura non succurrunt, sed deceptis, ac ipsi naturali aequitati consentaneum. Quemadmodum autem altero consentiente minor per restitutionem eius, quod e contractu accepit, liberatur; ita nihilo minus tamen ob dolum commissum puniendus est. Altera cautio haec habetur: *cum euinci poterit versio in rem, tenetur minor ad restituendum id, quo factus est locupletior.* In quo et ipso cum naturali ratione et Romanis legibus, quippe quae iubent, neminem cum alterius damno fieri locupletiozem, lex nostra consentit.

Verum hic existit dubitatio: an scilicet iureiurando adiecto minor possit obligari, ubi iure non tenetur. Quam litem lex nostra tutelaris (cap. XIII. §. 5. XVIII. §. 3.) perspicue diremit. Cum enim nemo valide iureiurando firmare possit obligationem, a qua suscipienda legis auctoritate prohibitus fuerat, sequitur ut ius iurandum minorum nullam pariat obligationis accessionem: licet ex iure Canonico aliter se res habere videatur, secundum quod omne iusiurandum seruandum est, quod non vergit in dispendium salutis vel in praecudium tertii. (c. 28. X. de iureiurando, c. 2. eod. c. 2. de pactis in 6.) Sed neglecto iure Canonico nunc alia omnia iubentur. Id quod conuenire cum iure Romano videtur, ea solum differentia, ut (l. 3. Cod. de in integr. resitut. minor.) distinguatur inter minorem curatorem habentem et eo destitutum. Priori enim casu si absque eo pactus sit, non valet quod celebravit negotium; nec valet addito iure-



iureiurando; cuius rei probationem peto ex l. 5. *Cod. de Legibus etc.* §. 1. ubi est: *ubicunque non seruari factum lege prohibente censuimus, certum est, nec stipulationem — nec sacramentum admitti.* Neque vero haec iuris ciuillis ratio euerfa fuit Authentica illa: *Sacramenta puerum etc.* (*Cod. si aduersus venditionem,*) de cuius sensu atque explicatione multae ortae sunt commentatorum altercationes, quas iam commemorare nimis longum foret. Quid? quod vti *Caldera* (*de erroribus pragmaticorum Lib. II. cap. 1. §. 3.* inf. *Meermannii Thesaur. Iur. ciu. Tom. III. pag. 551.*) existimat, prorsus topica est atque singularis constitutio Imperatoris germanici, Friderici, Barbarossa cognominati, ex 2 *Feud. 53. §. 3.* desumpta, in qua specialiter prospicitur minorum conventionibus iureiurando conceptis, super iis, quae ad concordiam oppidanorum pertinerent, pacemque inter ciues seruandam discordiis bellicisque ciuilibus conturbatos atque distractos. Cum igitur vanum iusiurandum sit, nisi antegressa aliqua iusta obligatio fuerit, bene prospectum minoribus videtur hac lege nostra atque cautum, vt ne vquam improbitati fraudulentorum hominum et callidorum exponerentur. At vero consentiente tutore obligationem in se recipere, eamque iureiurando firmare potest minor; id quod valet et de ipsa constitutione: *vom anvertraueten Gute*, (d. d. 26 Sept. 1705.) atque de eius expositione vberiori a Principe serenissimo Xauario emissâ, (d. d. 17. Decembris 1767.) Quamquam haud negauerim multam a tutore cautionem in eiusmodi consensu interponendo esse adhibendam. Quae denique (*cap. XIII. §. 5. extr.*) adiuncta poena est, ea iam peculiari edicto Potentissimi regis Poloniae et Serenissimi Electoris Saxoniae Friderici Augusti contra aëris alieni contractionem adolescentium (d. d. 21. April. 1724.) proposita, hic repetitur et augetur.

### §. III.

#### *De fideiussore pro minore.*

In fideiussione pro minore lex nostra tutelarîs (*cap. XIII. §. 9. 10.*) Romani iuris principia sequi videtur. Etenim qui sciens pro minore



minore fidem interposuit, fideiussor, solus tenetur; si vero nesciuerit minorem aetatem, plane non tenetur, sed obligatio omnis, cui accessit fideiussio, invalida habetur. Id quod seruatum ex iure Romano sapientissime videtur, quoniam qui sciuit, quippe ipse in culpa versans, quo fides seruetur ac securitas societatis humanae, ad praestandum obligandus, qui nesciuit autem, iure meritoque liberandus, ne innocenti sic damnum inferatur. Quae omnia etiam nunc locum habent, si maior contractui, quem minor infcio tutore inuit, sciens accessit.

§. III.

*De restitutione in integrum.*

Sed et de restitutionis in integrum commodo varia nouiter disposita deprehendimus, quae tamen potius suo quaeque loco notabimus. Id modo hic iuuat monere, ut huius legis (*cap. XIII. §. 16.*) pupillum, qui in causis criminalibus praecua sententia sub confessi et conuicti poena rite citatus fuerit, ob contumaciam iam posse a iudice ipso, vel nulla sententia antecedente, sub iactura beneficii restitutionis in integrum citari, cum antea alia omnia valerent, ac noua esset sententia exspectanda, antequam pupillus posset sub tali iactura citari.

§. V.

*De iis, qui veniam aetatis impetrauerunt.*

Tractatis nunc iuribus ac obligationibus pupillorum, quid de his, qui principis clementia aetatis veniam nacti sunt, valeat, haud praetermittendum videtur. Sed cum in animo sit de iuribus solum, quibus gaudent, qui veniam aetatis adepti sunt, differere, nihil addam de ratione acquirendae veniae aetatis, quam vltiori tractationi reseruare liceat. Iam vero lege nostra (*cap. XVIII. §. 4.*) accuratius

B

defi.





definitur, late patere eorum, qui veniam aetatis impetrarint, potestatem in obligando sese atque bonis suis administrandis, addita restrictione: *ausser was die Wechselbriefe betrift*, id quod ad edictum respicit, supra a nobis laudatum contra aeris alieni contractionem adolescentium, quo determinatur annus XXV. aetatis ad cambia scribenda idoneus. Neque veniam aetatis adeptis provocatio ad diuisionem ob odium communionis denegata fuit; quae et ipsi tutori, consentiente iudice, permittitur. (*cap. XVI. §. 15.*) Sed facultate immobilia, nisi venia aetatis ita extensa fuerit, absque decreto vel alienandi, vel oppignorandi plane priuantur. Sunt enim priuilegia strictissimae interpretationis. Qua de causa et ante hanc legem hoc iure carebant, qui veniam aetatis impetrassent. Iam vero cum actus vere inualidi atque frustranei nullo firmari iureiurando queant ex iuris Romani principiis supra explicatis, caute de his alienationibus additur: *wenn sie auch mit einem Eide bestaerket werden*. Tandem etiam nouum est, quod (*cap. XVIII. §. 3.*) eorum, qui veniam aetatis impetrarunt, epochae et renunciaciones vel iuratae, ante annum XXI. in tutoris commodum conceptae, nullius valoris iudicantur, id quod haud dubie ob aetatis iudicijque infirmitatem iubetur.

#### §. VI.

*De actibus furiosorum, amentium et prodigorum inter viuos.*

Coronidis tandem loco subiiciamus, quae de furiosorum, amentium prodigorumque conditione constituit lex nostra. Vbi statim occurrat (*cap. XXIII. §. 4.*) iusiurandum ab iis, qui cum furiosis vel amentibus quamuis curatore destitutis contraxerunt, praestandum, se scilicet ignorasse hunc morbum, poena adiecta, si seuerint, pro damni, quod perpeffi sint homines mentis vitio laborantes, grauitate, iis irroganda. Porro quae hucusque tolerabantur in interuallis dilucidis, ab talibus hominibus sine curatoris ipsis constituti consensu suscepta negotia, ea prudenter (§. 5.) inualida pronunciantur, propterea quod eiusmodi status  
semper



semper esse dubius solet, hac vna exceptione addita, si iudex, tutorem qui constituit, in conditionem et statum illorum hominum inquisierit, ipseque sanae mentis vere hunc hominem tunc fuisse testatus sit. Quod vero ad prodigos, minoribus plane aequiparandos spectat, ea, quae supra de iurium iurandorum nullitate disputata sunt, (§. 12.) repetuntur, additis adeo poenis partim ab eo qui praestat iusiurandum, partim ab eo, cui praestatur, soluendis. Denique (§. 13.) restitutio in integrum prodigis vel nondum adempta iis bonorum administratione, ex causa doli, nullibi plane ferendi, sapienter est vindicata. Cuius quidem doli si iudici exoriat suspicio, vel statim ad iurandum negantem potest adigere.

## CAPUT SECUNDUM

### *de matrimonio.*

#### §. I.

#### *De sponsalibus minorum.*

Proximum est, ut speciatim in materiae huius ubertate de minorum iuribus in matrimoniis ineundis exponamus. Minoribus sponsalia celebrantibus, (a sponsalibus enim capiamus exordium) iure Romano consensus curatoris, cui se ita subiecerant, non ut personam, sed ut rem familiarem, cui recte gerendae impares esse se crederent, gubernaret, eamque rite administraret, haud fuit adhibendus. Germani vero, qui nullam inter tutores et curatores discrimen noscent, consensum tutoris, si quis in minore adhuc aetate animum ad nuptias, gravissimum illud negotium, adpelleret, requirebant; uti vberius docuit *Gottlob Aug. Jenichen de necessario tutorum, seu curatorum in sponsalibus minorum consensu* (vid. *Leyseri medit. ad Pandect. Suppl. spec. 291.*) A quo quidem Maiorum nostrorum more huc usque in Saxonia iam receptissimus ac tutoris consensum in minorum sponsalia honestatis tantum



causſa petendum eſſe putauimus, quod nunc ita confirmatum eſt, (cap. XIII. §. 11.) vt minoribus maribus XVIII. annum egreſſis, feminis ſi XIII. aetatis annum expleuerunt, (vbi pubertatis quoad ſponſalia diuerſi termini in maribus feminisque definiuntur, aliqua pubertatis Romanae ratione habita) ſine conſenſu tutorum, ſponſalia inire concedatur, permiſſa modo tutoribus facultate, damnum, quod inde imminere poſſit pupillis, Conſiſtoriiſ indicandi.

Porro iure Romano tutor et curator infamiae nota adſpergebantur, ſi vel ſe, vel filios matrimonii vinculo cum pupilla et adulta rationibus nondum redditis iunxiſſent, quod tamen non factum eſſe videtur in curatore, ſi filiam ſuam adulto nuptui collocaret. (*l. 5. Cod. de interdico matrimonio inter pupillam et tutorem etc.*) Sed hac noſtra lege (cap. XIII. §. 12.) in vniuerſum nulla diuerſitatis liberorum habita ratione ſub poena tamen arbitraria vetantur ſapientiſſime omnia eiusmodi ſponſalia, quae niſi iudicis tutorem confirmantis conſenſu celebrata ſint, plane nulla declarantur. Atque id eadem, vt veriſimile eſt, de cauſa, ob quam Romanorum iure qua noxium prohibebatur, ſcilicet ne diſſipatis pupillorum bonis, rationibus reddendis ſeſe ſubtraherent tutores, ſtatutum videtur. Quo eodem conſilio (§. 13.) tutoribus interdictum eſt, captandi lucri cauſa, ad ſponſalia mouere minores cum aliis ineunda, adeo, vt cum ipſa ſponſalia, tum quaeuis conuentiones, inprimis quibus rationum reddendarum obligatio tutoribus remiſſa aut apocha ſuper geſta tutela fuerit data, pro nullis habeantur, ac praeterea duplum eius, quod hoc conſilio acceperunt tutores, aut tantum ipſis promiſſum fuerit, poenae loco praefare teneantur. Quin conſenſus tutoris poſt pubertatem plenam ſublatus eſſe ideo videtur, quo illi anſa praefcinderetur impediendi, per lucrandi ſpem, illorum ſponſalia.

Iam vero, cum bene adminiſtrandi, minime autem perdendi pupillorum bona facultate gaudeat tutor, in condendis pactis dotalibus diuer-



diuersis a lege prouinciae aut loci, iisque noxiis minorum utilitati (§. 14.) sapienter requiritur non solum tutoris, sed etiam iudicis consensus. Qui cum intercessit, praeclare simul restitutio in integrum in eiusmodi causis tollitur. Quoniam enim de causa cognouit iudex, nullus laesioni locus esse poterit, nec licet datam fidem fallere.

§. II.

*De tutela uxoris minoris.*

Diximus iam de sponsalibus minorum. Videamus nunc quae sit eorum, qui iam nuptias contraxerunt, conditio. Ac primo quidem maritus a tutela arcetur uxoris minorennis. (*cap. VIII, §. 1. n. 7.*) Quo quidem dubium ius atque ambiguum, de quo antea diu huc vsque disputatum fuerat ligatumque, certius nunc constitutum habemus. Stabant multi ab vna parte, qui, quamuis Romanorum iure vxores per matrimonium, quod olim conuentione in manum viri peragebatur in eiusdem potestatem familiamque transferint, et, tamquam filiae familias, mariti subiectae fuerint potestati, reliquas tamen feminas minorem aetatem nondum egressas, si vel maxime matrimonii foedus contraxissent, curatorum auxilio rectas, nec rei suae administrationem liberiorum consecutas fuisse, vxoris autem minorennis maritum remotum fuisse prorsus a cura eiusdem suscipienda arbitrarentur. (*cf. l. 2. Cod. qui dare tutores vel curatores possunt etc.*) Etenim leges praesumere credebant, curam mariti insigni detrimento cedere posse vxori, eo quod facile euenire possit, vt maritus, reddendarum rationum securus, grafsetur ac male versetur in re familiari coniugis suae, blanditiisque aut minis, vel potestate sua id efficiat, ne tam rigide secum, quam cum aliis curatoribus agatur. Contra vero nec deerant, qui aduersas partes neglecto iure Romano tuerentur, quique sententiam suam communi iure Germanico firmari existimarent. Prouocant adeo ad ipsam foederis connubialis descriptionem apud *Tacitum de moribus Germ.* (*cap.*



18) unde patere existimant, vxorem in potestatem tutelamue mariti transisse. Illis vero temporibus, cum a propinquis coemenda vxor esset, ne dubitare quidem fas putant, quin maritus in eam potestatem acceperit. Id quod etiam ex eo elicere student, quod Tacitus, cum dicit, *in haec munera accipitur vxor*, et in muneribus illis arma fuisse ad vxorum tuendam addit. Unde in potestate ipsius fuisse luce clarius sequi affirmant. Neque minus id, quod maritus ex sensu iuris Germanici vtatur fruaturque bonis vxoris, quod e tutela fructuaria Germanorum legitima fuit, indicare censent tutelam mariti in vxorem perpetuam. Quod item iure Saxonico veteri locum habere contendunt. (*cf. ius Prouinc. Lib. I. art. 31. III. art. 45.*) Vtu tandem iuri Germanico Romanum ius in Saxonia ex Bergeri sententia fuit praelatum. (*uid. Io. Gottl. Heineccius Element. iur. Germ. Lib. I. Tit. 8. §. 164. seqq. Idem diss. de marito tutore et curatore vxoris legitimo. Hal. Magdeb. 1734. Hommel. Rhapsod. Quaest. Obs. 171. Seger. diss. breuis curarum historia, Lips. 1753. §. 15.*) Nunc vero in nostra lege marito a tutela coniugis minoris diserte remoto, omnis concertatio sublata est.

### §. III.

*De iure mariti in bonis vxoris minorennis  
in vniuersum.*

Quamuis autem tutela alterius regatur vxor, (*cap. XXIII. §. 2. seqq.*) tamen maritus a tutore exigere potest usum fructum bonorum vxoris minoris, nisi pactis dotalibus aliter statutum fuerit. (*dict. §. 2.*) Id quod iam iure Germanico valuit, quo ususfructus, nisi aliter pactum fuerit, marito semper debebatur. Quemadmodum autem serenissimus legislator bonorum quae vxor habet usumfructum marito diserte seruauit, ita etiam dotis dominio eum priuasse neutiquam potest contendere. Quodsi voluisset id abrogare, perspicue ac definite illud pronunciaisset. Namque bona vxoris semper pro illatis putantur, quamuis a tutore ad-

mini-



ministrantur. Neque eadem lege tutelari abrogatum legimus sublatumque illud dotalia bona vxoris inter et paraphernalia discrimen, quod quale sit, *Ordinat. Proc. Electoral. Saxon. (Tit. XXXXIII. §. 1. 2.)* clare ita demonstrat, vt scilicet, quaecumque tempore benedictionis sacerdotalis a femina illata, pro dotalibus accipienda, quae vero durante matrimonio allata fuerint, pro paraphernalibus sint putanda, atque concursu creditorum super bonis mariti moto vxor intuitu dotis iure gaudeat praelationis, quod etiam confirmatum est singulari edicto. (d. d. 24. Septembr. 1734.)

### §. III.

*De consensu mariti in alienatione ac oppignoratione bonorum vxoris minorennis necessario.*

Iam vero in nostra lege disponitur etiam, quae marito iura competant in bonis vxoris minorennis vel alienandis, vel oppignorandis. Quare vt etiam hanc quaestionem attingamus, instituti ratio postulat. Apud Germanos quidem teste *Heineccio (in Elem. iur. Germ. Lib. I. Tit. 12. §. 295. \* et in diff. cit. cap. II. §. 17.)* hoc inter omnes fere gentes receptum fuit, vt vxoribus, nisi auctoribus maritis, quidquam vel vendere vel oppignorare nefas fuerit. Quem morem vt ius Saxonicum Electorale retinuit, ita praeterea non quidem ex regula, verum per exceptionem, ad fundum alienandum, curatoris specialis consentum requisiuit, scilicet, vt *Dec. Electoral. XXIII. ait, tunc: weem zu vermerken, das der Ehemann den Contract zu seinem eigenen Nutzen geschlossen, und das unbewegliche Guth wegen künftiger Succession, ihm zum besten, zu Gelde gemacht.* Neque enim in rem suam auctor fieri maritus potest, quod fieret tamen ob successione mobiliarem illi competentem. (cf. *Ill. Ludou. Koch. diff. inaug. de vxore immobilia sua solo consentiente marito valide alienante. Lips. 1766.*) Quod si ea minor sit, fieri id haud nunc ita poterit, sed per tutorem et cum decreto efficiendum





ciendam id esse praecipitur. (*cap. XXIII. §. 3. iunct. cap. XVI.*) Quod utrum sine mariti consensu tutori liceat, hoc loco non docetur: verum cum mariti iura hac lege nostra non in hunc modum limitentur, absque eo perficere id haud poterit tutor, idque eo minus, quo magis in hoc loco confirmata videas Germanica maritorum iura ratione administrationis immobilium vxoris: idque videtur confici posse vel concludendo a minori ad maius; scilicet (§. 5.) in verbis: *nehß dem Ehemanne*, vbi vel quoad mobilia, (quae iudicis arbitrio extradenda minori nubenti esse, (*cap. XV. §. 6.*) sane sapienter praecipitur,) alienanda aut oppignoranda, consensus mariti necessarius indicatur. Caeterum quae de alienatione bonorum vxoris minoris diximus, ea etiam de oppignoratione eorum intelligenda esse disertis verbis in lege nostra cautum est. Tandem marito bonorum vxoris minorennis immobilium et alienationis et oppignorationis ne tunc quidem, si vxor consentiat, permissa est. Quae in sanctione Iustinianei iuris vestigia deprehenduntur.

#### §. V.

##### *De administratione bonorum vxoris minoris marito salva.*

Nec praetermittenda sunt, quae de recte adhibendis vxoris minoris pecuniis ad emtionem bonorum immobilium, quorum deinde aequae ac eorum, quae antea possedit, administratio marito decernitur, (*cap. XXIII. §. 3. 7.*) prorsus egregie constituta sunt. Maritus enim administrationem hoc modo consecutus non amplius pendet ab arbitrio tutoris, ac fundi emtio praeterea emolumento fere cedit tum coniugum, tum rei publicae. Quodsi porro vxor minorennis negotiationem aut officinam possidet, marito, si eius exercendae peritus reperitur, vna cum tutore, vel eius auspiciis, iudicis arbitrio administratio eius conceditur. (§. 6.) Praeterea quoque (§. 8.) maritus accipiet administrationem paratae pecuniae nominumque, modo vxor satis securitatis habere queat in bonis mariti. Ac quamquam, si maritus hanc securi-



securitatem vxori praestare nequit et paratae pecuniae, et nominum administratio tutori relicta est, idem tamen mariti consiliis vti tenetur, cui etiam contra rationes tutoris annuas, si ei ita visum fuerit, monere liberum est. (§. 4.) Caeterum haec libera mariti administratio a patre vxoris minorennis, tutori haud subiectae, intuitu eorum bonorum, quae eius liberalitati debentur, limitibus potest circumferri ei que modus praescribi. (§. 10.)

E quibus omnibus, quae de minorum nuptias contrahentium iuribus disputauimus, manifestum est, serenissimum ac sapientissimum legislatorem mariti iura eatenus tantum limitibus coërcuisse, quatenus rei vxoris securitas et salus, publicique commodi ratio id requirere viderentur.

### CAPUT TERTIUM.

#### *Quaestiones de successiōibus.*

##### §. I.

##### *De testamentis ordinandis.*

Ad vltimas voluntates cum nunc progrediendum sit, incipiamus ab aetatis termino, quo femina testamentum condere possit. In quo quidem obtinuit huc vsque in Saxonia communis iuris placitum, praeterquam in iis locis, in quibus singulare statutum seruatur. Itaque apud nos quoque anno XII. expleto condendi testamenti potestatem feminae habuerunt. Verum hac noua lege (*cap. XIII. §. 15.*) mulieres in ea re masculis comparatae, nec iis relicta facultas testandi, nisi annum XIII. supergressis.

Cum porro de vltimis voluntatibus, quas furiosus, curatori subiectus, tempore dilucidi interualli scripserit aut nuncupasse dicere-

C

tur,



tur, ambigua saepe atque incerta quaestio apud iudices mota esset, aduersariis furorem in ipso actu testandi obicientibus, sapientissime constitutum est, (*cap. XXIII. §. 5.*) vt iudex eiuscemodi testatoris statum ante omnia explorare et de sanitate hominis testimonium ferre debeat, qua iudiciali cognitione neglecta testamentum eius inualidum habeatur.

Etiam coecis, mutis, surdis, non aliter nisi coram iudice licet testari. (§. 7.) Sic vero omnibus occurritur calumniis, frausque omnis declinatur, imo vero multis de ipsa testamentorum veritate litibus obuiam itur, cum antea de signis incertis, quibus muti et surdi priuatim testantes vti esse dicerentur, saepissime disputaretur, (*cf. Io. Flor. Riinius diss. de testamento surdi et muti,*) nec rarae essent de coecorum testamentis et praecipue de testis octauo nomine ac subscriptione controuersiae, quibus felix patria nostra in posterum omnino carebit.

Ceterum iudicialis testamenti vocabulo heic loci etiam illud contineri, quod Principi vel Comiti Principis offertur, vel propterea dubitare non licet, quod non maior potest esse iudicis quam Principis, qui eum constituit, fides.

Non minore sapientia prodigorum testamenta, tempore interdictae bonorum administrationis condita, omnino infirmantur, (§. 14.) hocque modo vetus dubitatio, an Nouella Leonis Philosophi XXXVIII. de testamento prodigi, quo bene posteritati prospexerit, apud nos aliquam vim habeat: quam quidem, contra Beckium, Illustr. *Sege- rus* (*diss. de Leonis Philosophi constitutionum Nouellarum auctoritate*) negando decidit, tandem sublata est.



## §. II.

*De pactis successoriis.*

De pactis successoriis retenta regula iuris Germanici communis, quam et ipsa ratio ac publica salus suadet, (*cap. XIII. §. 15. XXIII. §. 14.*) Cum enim pactorum obligatio non nisi mutuo dissensu tolli possit, atque tutoribus ac curatoribus talium negotiorum contrahendorum pro pupillis arbitrio relicto, facultate de suis aliquando bonis disponendi pupillum aut minorem spoliare, aut pupillis ipsis talium obligationum suscipiendarum potestatem in hac iudicii eorum imbecillitate permittere ab omni aequitate abhorreat, cautum est, ut tutor curatorque minoris nomine, et minor sine solus sine cum illius consensu acquirere quidem alienas hereditates pacto queant, at neque tutor neque ipse minor suam hereditatem sine successione in sua bona, sine iudicis auctoritate pacto stabili alteri promittere possint, sed semper potius tunc mutandae voluntatis, nisi a maiore facto iterum ea declaratur, libera facultas supersit. Itaque verbo Pragmaticorum pacta minorum successoria claudicant. Maior tenetur, si minor eiusque curator aut heres minoris velit: minor non tenetur, nisi malit lucrum captare ex reciproca forte obligatione maioris sperandum, aut captum quod revocata sua consensione sine causa apud se foret, restituere nolit. Quae omnia non tantum in minoribus, sed etiam in prodigis locum habent.

## §. III.

*De venditione Geradae.*

Sed transeamus iam ad rerum utensilium iura, de quibus constitutum est (*cap. XXIII. §. 5.*) ut si minor vxor velit vniuersitatem earum marito vendere, consensu curatoris, commodum aut incommodum



dum talis venditionis aestimantis opus sit. De decreto iudicis nihil  
 adicitur. Quod rationem habet. Curator enim consentire non cogi-  
 tur, nisi ea Geradae venditio fiat in mortis euentum adiectaque condi-  
 tione, vt, mortuo ante vxorem marito, euanescat. Immo vero etiam  
 tum licet ei dissenfum suum exponere, si iustus nitatur cauffis: puto,  
 si in fraudem creditorum res fiat, aut magis ob viri importunas solli-  
 citationes, quam libera voluntate, aut contra pietatis officium, v. g.  
 si filia, vel mater mulieris superstes atque per egestatem his vtensilibus  
 aegre caritura sit: quemadmodum etiam egestas sororis aut materte-  
 rae, cuius forte solerti cura mulier olim educata esset, curatorem non-  
 nunquam ad denegandum aut certe ad restringendum consensum mo-  
 uere possit. Quae omnia innunt verba legis: *wosferne kein besonderes  
 Bedenken sich dabey ereignet.* Quid igitur de necessitate decreti iudicia-  
 lis in aliis Geradae venditionibus a femina minore nec tamen marito  
 factis in posterum statuemus? *Menkenius* quidem, (*Pandect. Lib.  
 XXVII. Tit. 9. §. 3.*) *Bahrdius* (*Lib. de Gerada pag. 328.*) atque  
*Hommelius* (*Rhapsod. Quaest. Obs. Cl. XVIII.*) illud omnino requiren-  
 dum existimauerunt, caussantes, vniuersitatem rerum vtensilium mino-  
 ris non magis, atque eius res immobiles sine decreto alienari debere.  
 Sed pace tantorum virorum distinguendam esse opinor venditionem  
 simplicem, vbi decreto vtique opus erit, atque venditionem in euen-  
 tum mortis cum cautione, vt res inemptae sint, si emtor ante vendito-  
 rem decedat. In hac enim nec ante legem, quia ratio requirendi de-  
 creti cessat, illud necessarium censuisssem: quam meam opinionem hac  
 lege, quae regulam tantum in exemplo allato secuta est, non vero a  
 regula exceptionem fecit, publice confirmatam opinor.



## §. III.

*De successione ab intestato.*

Neque tandem silentio praetermittenda est sapientissima Serenissimi legislatoris voluntas, qua iura maritorum indulgentissime auxit eo, quod admodum praeclare (*cap. XXIII. §. 7. extr.*) marito successorem in rem immobilem e re mobili uxoris minoris constante matrimonio eam vindicavit: quod huc usque fieri plane non poterat, nisi haec successio expressè pacta esset. Sed facilius hac lege efficitur, ut maritus, sine cuius consensu fundum emere vxor non aliter potest, nisi ex pecunia receptitia, de qua sibi liberrimam disponendi facultatem seruauit, in fundorum etiam dotalibus aut paraphernalibus numis faciendam coëntionem magno saepe cum uxoris minoris, imo ipsius rei publicae emolumento, sine ulla iuris sui deminutione consentiat. Caeterum liquere existimo, ad fundos ante matrimonium aut ab vxore maiore aetate nostram legem non pertinere, neque eandem de fundis pecunia receptitia intra minorem aetatem, quamquam constante matrimonio comparatis, cum inter viuos, tum mortis causa libere disponendi facultatem vxori adimere.

## CAPUT QUARTUM.

*De patria potestate, quatenus in tutela se exerit.*

## §. I.

*De bonis liberorum rite administrandis.*

Si ulla de re graues semper motae fuere lites, certe motae sunt de limitibus patriae potestatis in bonis liberorum administrandis. Quare



re lege nostra et illas sopitas fuisse vehementer sane nobis laetandum est. Iam vero in ea (*cap. V. §. 1. r. XXII. XXIII. §. 1. r.*) vis ac robur potestatis patriae in administrandis et utendis fruendis bonis liberorum saluberrime coercetur. Sic enim regula quidem, patrem vi patriae potestatis bona liberorum administrare ipsique uti frui posse, remansit, attamen non modo in quibusdam speciebus tutorem liberis eius minoribus praeterea dandum esse praecipuum, verum etiam ius administrandi ista bona huc et illuc limitatum videmus.

Ante omnia vero monendum est, quid iuris sit, si pater ipse minorem aetatem nondum egressus sit. Tunc enim (*cap. XXIII. §. 1. r.*) si liberi ex minori patre procreati bona possideant, ad quorum administrationem nondum peculiaris tutor fuerit constitutus, eorum administratio in patris tutorem transferri debet. In quo quidem vestigia iuris Romani deprehendere mihi video, quo agnati sine vilo aetatis discrimine in tutelam vocabantur, adeo, ut, si proximus esset impubes et ille ipse, et qui sub eius tutela esse debebat, ab eodem tutore regerentur; donec alter eorum pubertatem esset consecutus; atque ita in tutelam venit ipsum tutelae ius, effectusque tutor tutoris, uti contra Vinnium obseruat Illustris *Segerus (diss. histor. iur. Rom. liberae reip. de tutelis et curationibus §. 3.)* quod tamen sublatum est a Iustiniano, cui absentium videbatur, eum, qui ipse sub tutela esset, aliena regere.

Sed quod ad ipsa liberorum bona attinet, ea utcumque acquisita, nisi illis intuitu horum peculiaris tutor sit constitutus, vi legis nostrae (*cap. XXII. §. 1. r.*) a patre rite nunc iudici indicanda sunt, ita tamen ut ad specificationem bonorum a liberis acquiritur iureiurando firmam cogi pater non debeat, nisi grauis quaedam contra illum suspicio oriatur. Id quod huc vsque modo obseruatum fuit tunc, si probatio maioris patrimonii fuerit suscepta. Nunc vero ex hac lege vel sine illa ex sola suspicione vera ad iuratam specificationem cogi pater posse videtur. Quo quidem loco quaeri poterit, quid de pecunia Iustitica sit  
statuen-



statuendum, utrum scilicet et haec a patre confestim iudici sit indicanda? Quamquam autem nescio an de ea cogitauerit summus legislator, attamen habemus hic legem scriptam generalem. Nec minus utile hoc fore credo, ne a liberis e concursu paterno illud postulantibus ideo iusiurandum praestandum sit.

Item quoque (§. 2.) in salutem liberorum ad constituendam portionem maternam ex matris cognatis potissimum tutorem illis constituendum esse praecipitur sapientissime. Hi enim et cupere liberis optime putandi sunt, et matris demortuae rem conditionemque accuratius nosse. Potest tamen interdum aliquid accidere, quod illud impediatur, veluti si matris cognati haud idonei videantur, vel iidem testes in ea causa adhiberi possint: quare eos tantum potissimum (*vorzüglich*) non vero solos tutores portionis maternae constituere iubentur iudices. Caeferum eadem dispositio, scilicet de constituendo tutore, si praeter hereditatem maternam, liberis et patri simul aliquid accrescat, locum habet. In his omnibus vero hi tutores finita separatione non administrant, sed potius administratio cum usufructu patri, vi patriae potestatis competit.

## §. II.

### *De usufructu legitimae patri non adimendo.*

Cum hoc patris iure bene mihi collineare videntur, quae (*cap. V. §. 11.*) de usufructu legitimae patri plane non adimendo sapienter satis ordinata sunt. Vbi ratione legitimae nullo modo onerandae eadem principia seruata inuenimus, quae iuris Romani sunt, dum cognati in linea ascendente administrationem legitimae cum eius usufructu patri non possunt adimere. Si vero grauis quaedam suspicio rei a patre male curatae vel administratae existat, tum quidem administratio legitimae patri potest adimi, saluo tamen usufructus commodo. Lau-  
danda



danda igitur ac reuerenda haec lex sapientissima est, quae dum patris iura vindicat, liberorum item rei ac legitimae incolumitati optime consulit, sicque certius simul ius constituit, quod antea dubium non parum atque ambiguum fluctuarat. (*vid. Leyser Specim. XCH. medit. 1. Griebner diff. de usufructu legitimae patri non adimendo, Lips. 1706.*)

§. III.

*De cautione a patre praestanda.*

Neque minus praedicta ea cura in illis, quibus immunitas patris a satisfactione (cap. XXII. §. 3.) limitatur. Quamvis enim pater, vel si nullum fundum possideat, a satisfactione liber habeatur intuitu eorum bonorum, quorum usufructus illi competit, ob patriam potestatem suspicionisque defectum: tamen de bonis, quorum usufructus ad eum nil pertinet, iure ad satisfaciendum liberis tenetur, quoniam hi patresfamilias ipsi intuitu horum quodammodo habentur, itemque etiam de illis bonis, quorum usufructus illi competit, si periculum enascatur liberis (§. 5.) quod huc usque summo cum damno liberorum, uti tot testantur exempla, non obtinuit, nisi antea prodigus ille declaratus fuisset. Atque illa quidem satisfactio, in qua definienda ad pecuniam paratam caeterasque res mobiles, nec non ad nomina, quorum chirographa a patre custodiuntur, respiciendum est, a patre, cui non satis bonorum immobilium est, praestanda ita praecipitur, ut, si pater propter nominum magnitudinem praestandae cautioni sufficienti impar sit, a iudice ad tradenda chirographa possit cogi, quae etiam in tutore locum habent. (cap. X. §. 5.) Namque pater hic loco tutoris est alias constituendi a magistratu: eademque de causa ius tacitae hypothecae, olim abrogatae, deinceps vero (*per edict. d. d. 24. Septembr. 1734.*) restituta denuo confirmatur. (*dict. §. 5. coll. cum cap. X. §. 3.*) Jam vero quid lex haec nostra (cap. XXII. X. §. 4. 5.) de praestandae cautionis modo, quae materia *Or-*  
*dinat*



*dinat. Proc. Saxon. Recognitae (ad Tit. XLV. §. 1.)* menti apte tractata ibi videtur, moneat, videamus. Apud Romanos quidem factis dabatur fideiussoribus, idque recte, quia in omnem summam tenetur tutor, etiam in incertam, et pignus certum tantum pretium habet: apud nos contra, iudicis arbitrio atque definito pupilli patrimonio fieri etiam potest pignoribus, nec non pecuniis tutori a pupillo debitis, id quod hodie, cum non semper tuto de bonis fideiussorum iudicari possit, recte fit. Nec minus ibi cauetur, ut cautionis fors ad quantitatem bonorum referatur, ita quidem, ut non fortis integrae, sed vsurarum modo vnius anni ratio habeatur. Idque prudentissime statutum, ne nimis operetur tutor; semper enim obseruabitur, adeo, ut, si suspectus videatur, facile possit remoueri.

§. III.

*De potestate patris in alienandis bonis liberorum minorum.*

Pari item praestantia excellunt quae de alienatione bonorum immobilium (cap. XXII. §. 4.) definiuntur. Quamquam enim optimum de liberis cepisse pater putandus est consilium, ob imminens tamen grauius damnum hoc loco sapienter illi bona liberorum immobilia absque praecedente causae cognitione atque decreto iudicis alienare interdicitur, ita tamen, ut cum alius tutor non nisi ob necessitatem in regula hoc possit, (cap. XVI. §. 3.) patri id liceat ob liberorum vilitatem quaecumque. Cuius rei ratio in eo videtur quaerenda, quod praeter arbitrium iudicis etiam patris consilium huic rei accedit. Praeterea etiam principatum tenet pater intuitu pretiosarum rerum mobilium, prae quouis alio tutore, quippe quas sine decreto alienare ad normam legis Constantini (l. 22. *Cod. de administratione tutorum vel curatorum etc.*) quae huc vsque fere in Saxonia non obseruabatur, ve-

D

tuit





tuit lex nostra, (cap. XVI. §. 2.) quod scilicet index patri hanc alienationem sine causa aliqua grauiori non possit prohibere, modo pater eam ipsi denunciauerit, atque harum rerum aestimationem, quam taxationem dicunt, adhiberit. Caeterum decretum iudicis verbis expressis est interponendum, nec sola sufficit confirmatio iudicialis, quippe quae nihil noui producit, quod videtur patere ex verbis: *Jedoch hat der Richter — gründlich zu untersuchen.* Ad solam enim iudicalem confirmationem non requiritur, vt eam causae cognitio anteccedat; qua in decreto opus est. Tum vero etiam, quae ex fundorum mobiliumque pretiosorum venditione rediit, pecunia inuentario a patre inferenda iubetur. Quodsi quid inualide, veluti sine decreto, alienauit tutor, heres illius, qui facta defuncti praestare debet, emtoribus laesis euictionem praestare iure Romano tenetur. Quamobrem minores, si ad iustam aetatem peruenerunt, ius vindicandorum bonorum, quae tutor inualide abalienauerat, possunt exercere, ii vero, qui cum tutore contraxerant, aduersus defuncti tutoris heredes ad euictionis praestationem poterunt agere. Idem lex nostra (cap. XXII. §. 7.) praecipit, adiicitque et illud, vt ipsi liberi pro ea parte, ex qua heredes sunt, illis, quibuscum pater defunctus nomine illorum contraxerit, euictionis praestandae damnique refarciendi obligatione constricti teneantur.

§. V.

*De tutela testamentaria.*

Sed quae de tutorum liberis nino patre dandorum necessitate agerendae tutelae modo diximus, sufficiant. Potius vt nunc de ipsa eorum ex voluntate patris constituendorum ratione dicamus, admonet nos institutum. Tribuit autem lex nostra tutelarum patri ius liberis in testamento vel aliis modis constituendi tutorem, additis tamen quibusdam,



dam, iisque sapientissimis sane, limitibus. Primo enim patri, intuitu quidem allodii, non vero feudi, cui quippe administrando tutorem constituendi ius (cap. XXI. §. 1.) ex ratione iuris feudalis domino directo reseruatam legimus, hoc denuo concessum est, vt, tam durante adhuc, quam finita potestate patria (cap. V. §. 1.) liberis suis in legitima tantum institutis, vel adeo exheredatis, tam minoribus, quam, qui illis equiparantur, prodigis, iisque adeo quoad legitimam, (cap. XXIII. §. 8.) tutorem constituere possit testamento. Nec minus illi licet excludere matrem atque confanguineos sine allegata causa, (cap. V. §. 2.) tutoremque constituere liberis sub conditione vel ad certum tempus (cap. V. §. 3. XX. §. 5.) vel vsque dum legitimus tutor minorum aetatem egressus fuerit, vel si certis negotiis, siue publicis, siue aliis, de quibus metuendum quid videretur, testator nouerat tutorem, certo tempore, vel ad certum tempus iri implicitum. Fieri quoque hoc potest tam a patre, quam matre, atque adscendentibus remotiorum graduum, absque solemnitatibus testamentariis, adeo vt, si scriptura constituerint tutorem, nulli requirantur testes, si ore pronunciauerint, duo sufficiant. (cap. V. §. 7. 9.) Est enim dispositio quasi inter liberos tutela haecce testamentaria. Sunt tamen, vt diximus, certi praescripti parenti ea in re fines. Sic, quamquam iure Romano durante patria potestate, atque recte, datus tutor testamentarius magistratus confirmatione non indigebat, ea tamen nunc, quae quidem est vetustissima iuris Germanici regula, omnes omnino tutores indigent, etiam in testamento a patre constituti, et quidem praecedente inquisitione, (cap. V. §. 2. X. §. 1.) a qua vero praeeptione excipiendus est tutor honorarius, qui neque confirmatione, neque tutorio eget, (cap. XX. §. 4.) cum non administret, sed sufficit, si in libello, in quo res tutelares conferibuntur, eum esse honorarium tutorem, notetur.

Vti porro tutores testamentarii iure Romano nulla re impediende a satisfactione immunes erant; quia paterno iudicio dati idonei crede-



bantur, (l. 7. §. 5. *Cod. de curat. furios. vel prodigi*) sic lege nostra (cap. V. §. 6. X. §. 6.) praeceptum legimus, tutorem ab ea liberari, si pater eam in testamento diserte (quae diserta voluntas iure Romano haud requirebatur,) remisit, addita tamen sapientissime cautione hac, in securitatem pupillorum, ut nihilominus iudici haud adempta vis atque potestas sit satisfactionis a tutoribus exigendae, si ea iustis de causis opus esse videatur. Nec vero licet priuata dispositione publico iuri aliquid detrudere. Vnde conficitur, patrem non posse tutorem constituere ad tutelam minus idoneum, neque admitti posse eiusmodi hominem ad tutelam, licet tempore, quo testamentum condebatur, habilis fuerit, sed posteriori tempore, quae obeundae tutelae sufficiunt, contraxerit. Quae prudenter sane hac lege (cap. V. §. 2. 4.) ita sancita sunt.

Ex eadem quoque ratione patri ultra annum aetatis XXI. liberis tutorem constituendi ius (§. 6.) denegatur. Liberum tamen illi nunc manet in longius tempus de administratione bonorum disponere, id quod nouum est, ad bonum liberorum spectans atque cum legibus optime conueniens. Quamquam haec ibi adiecit limitatio, ne liberi in legitima grauentur; id quod ex assè cum iuris ratione conspirat, quo fieri nequit, ut legitima oneretur, nisi forte, adhibita illa cautela Socii, per indirectum id fiat.

§. VI.

*De modo tutelae administrandae ex voluntate patris.*

Quibus priuilegijs patris accedit et hoc, quod non solum voluntas eius intuitu educationis liberorum obseruanda iubetur, si nulla res impediatur, (cap. XII. §. 2.) verum etiam ipsi concessum est dispo-

nerè,



nere, quomodo tutelam cupiat administrari. (cap. V. §. 6.) Neque tamen omnino is poterit vetare, quo minus inuentarium, siue specificatio hereditatis iureiurando confirmanda consiciatur. Atque hoc quidem sane optime constitutum videtur, tum, quod ad prius spectat, quia patri potissimum cognitum esse perspectumque debet, quo modo utilitati liberorum consuli, bona rite administrari, ipsorumque liberorum cura geri possit, tum, quod ad posterius attinet, quia maxime pupillorum rei prospicitur, specificatione accurata hereditatis edenda. Quod autem utilitati publicae maxime inseruit, id non potest simpliciter prohiberi. Atque haec quidem inuentarii specificationis simpliciter haud vetandae sapientissima ratio illustratur in verbis: *Es soll aber, im Fall er, in Absicht auf u. s. w. itemque: wenn auch ein Kaufmann etc. (dict. §. 6.)* quibus non solum in vniuersum, ne contra patris voluntatem vires hereditatis innotescant, inuentarium vel specificationem rerum hereditariarum apud iudicem obsignatam deponere permittitur, ita, vt, nisi orta suspicione vel aliis iustis de causis, iudici eam non liceat aperire, verum etiam in primis mercatoribus permittum legimus iubere, vt mercium pretium, itemque aeris tum contracti tum distracti ratio in specificatione iudici tradenda secundum vniuersas tantum sortes, (*nur nach den Hauptsummen*) indicetur, adeo vt iudex tunc in consignatione hoc modo facta acquiescere cogatur, nisi iusta laesionis pupillo imminentis suspicio orta sit, aut aliae causae grauiores obsint. Quod quidem iuuandi commercii causa sapientissime statutum videtur. Fugit enim neminem, quantum plerumque mercatorum interst, ne rerum suarum conditio in publicum emanet. Nihilo minus tamen a vero abhorrere haud videtur, patrem etiam inuentarii vel specificationis hereditatis editionem posse prohibere, si cautelam illam notissimam, quam dicunt, Socini huic prohibitioni adiciat. Quae quidem cautela, quamuis in fraudem legis legitimam onerari vetantis excogitata, vnde quibusdam etiam de eius valore videtur dubitandum, vsu tamen recepta est atque in forum introducta.



ducta. Neque vero video, qua ratione conquiri de eius durtie possint liberi grauati, cum ultra legitimam relinquere illis aliquid de iure pater neutiquam teneatur, et si commodum, supra eam relictum, minus illis arrideat, solam legitimam absque grauamine capere queant. (cf. *Sam. Stryck de cautelis testamentorum cap. XVII. Membr. 3. §. 15. sequ. Leyser Meditat. ad Pandect. Specim. XCII. sequ. Berger Oecon. Iur. Libr. II. tit. 4. thes. 15. n. 9. pag. 276. edit. S. V. de Winckler. Casp. Henr. Horn Class. VII. Resp. 48. Hommel Rhapsod. Quaest. Obs. XXXI. no. 3.*)

Nouiter praeterea in hac lege (cap. V. §. 6. XVII. §. 1.) constitutum laetamur, ut reddendae tutelaris rationis annuae obligatione liberari tutor a patre eatenus tantum possit, quatenus scilicet singulari quodam casu a regiminibus prouinciali vel trium episcopatuum approbatum fuerit.

Quae vero ratione aui (§. 13.) sanciantur, e iure Germanico repetenda videntur, non Romano, quoniam ex mente iuris Germanici exit e patria potestate filius separata oeconomia instituta. Etenim ex Romanorum iure tutoris datio effectus est patriae potestatis, quae mortuo patre etiam ad auum spectabat, sine qua potius quamdiu viueret utebatur. Plura quidem de tutela testamentaria in nostra lege sancita reperiuntur; quae tamen omnia, cum non patris iura concernant, de quibus iam nobis sermo est, missa faciamus, eorum potius tractationem opportuniore loco reseruantes.

#### CONCLUSIO.

Ex his igitur paucis, speciminis nunc causa propositis, satis opinor, planum erit atque perspicuum, id quod in principio huius libelli



belli postueram, Serenissimi legislatoris, Patris patriae a Deo dati, sapientiam summam summumque ciuium amorem ex hac etiam nouella lege tutelari elucere. Quae quidem lex cum mirum in modum cum ratione aequitatis humanitatisque conspiret, et ius commune ac Saxonicum in partibus ad eam pertinentibus partim emendauerit atque correxerit, partim ab erroribus interpretum vindicauerit et natiuo suo nitore restituerit, sane de hoc tanto beneficio salutis publicae causa lactari decet. Omnes enim ac singulae huius legis partes, tanquam singula quaeuis circuli puncta, in vnum collineant, scilicet vt fides in ciuibus firmetur ac stabiliatur, vt ii, qui se ipsi tueri non possunt, feliciter aliorum tutela regantur, nihil sui iuris vsquam amittant, nec tamen vili damnosum sit suum officium, atque in vniuersum publicae rei salus sustineatur et augeatur.







ULB Halle  
006 378 986


3



1078









IVRE EL  
PER LEO

ILLVSTRIS

IN ALM

SVMMS IN

D. IIII

FRIDERIC

84, 11.


CO 252

EM

INIS

BVS

OBE



Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8

